



VERBA SENTIMENTUM

1 – GRAMMATICA ELEMENTA

De verbis sentimentum experimentibus. Primo sunt verba impersonalia, sicut:

- me paenitet, paenitere, paenituit.
- me miseret, miserere, ---
- me piget, pigere, piguit
- me pudet, pudere, puduit (puditum est)
- me taedet, taedere, pertaesum est.

Sententiae formantur ope genitivi causae atque accusativi personae:

Me paenitet erroris mei

Puerum paenitet erroris sui

Eos paenitet erroris sui.

Incipit me paenitere.

Secundo sunt verba sicut : gaudeo, timeo, doleo, maereo, laetari, gloriari...

Helvetii sua victoria gloriabantur. (cum ablativo)

Sententiae formantur ope infinitivi, indicativi aut subjontivi.

Doleo eum mortuum esse.

Doleo quod mortuus est. (quod + indicativo indicat causam esse rem actam)

Gaudeo quod tibi profuerim. (quod + subjunctivo indicat causam esse rem cogitatam)

2 – CONFABULATIO

Bini sodales respondent his quastionibus utentes verbis praedictis:

- 1) Num ante amicos vel collegas te pudet latinitatis vivae?
- 2) An taedet te mundi hodierni?
- 3) Quo facto hac hebdomada gavisus es?
- 4) Quibus rebus inane gloriantur Americani?
- 5) Timesne ne veniant extraterreni hostiles?
- 6) Dolesne quod capta est Roma a barbaris?
- 7) Maererisne quod non possimus stellas alias explorare?

3 – SCRIPTA

PLINII MAJORIS *LIBER II*

58 – *De lapidibus e caelo cadentibus.* Celebrant Graeci Anaxagoran Clazomenium Olympiadis LXXVIII secundo anno praedixisse caelestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset e sole, idque factum interdiu in Thraciae parte ad Aegos flumen, qui lapis etiam nunc ostenditur magnitudine vehis, colore adusto, comete quoque illis noctibus flagrante. (...) decidere tamen crebro non erit dubium. in Abydi gymnasio ex ea causa colitur hodieque modicus quidem, sed quem in media terrarum casurum idem Anaxagoras praedixisse narretur. colitur et Cassandriae, quae Potidaea *quondam* vocata est, ob id deducta. ego ipse vidi in Vocontiorum agro paulo ante delatum.

69 – *De situ terrae.* Mediam esse mundi totius haut dubiis constat argumentis, sed clarissimo aequinocti paribus horis. nam nisi in medio esset, aequales dies noctesque habere non posse deprehendere est dioptraeque vel maxime confirmant, cum aequinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusque cernatur, solstitiali exortus per suam liniam, brumali occasus. quae accidere nullo modo possent nisi in centro sita.

Vocabulary

adustus: qui in igne diu fuit

aequinox: dies quo diurnitate aequi sunt dies noctesque

cometes, ae: sidus comatum, differt a stella erranti

crebro: saepe

deferre, detuli, delatum: alio portare

dioptra: instrumentum mensurae

interdiu: per diem, sole lucenti

linia = linea: filum lineum / tractus

planeta: stella errans. Errans (stella) Martis, Jovis...

quondam: olim

saxum: lapis

solstitium: die quo elongatio solis minima aut maxima est

tempore brumali: in autumno

vehes, is: plaustrum parvum

zodiacus

Si plura de astronomia legere cupis, vide Plinii librum secundum, et Manilii astronomica.